

tionem ejusdem Michaelis Archangeli, ipsiusque reverentiam in Metropolitanam ere-
rat, & multis honoribus decoraverat, ac
cupientes preterea eandem Ecclesiam predi-
cti gloriosissimi Principis Michaelis Archangeli,
qui de hoste humani generis triumphans mili-
tia celestis exercitus obtinet providentia divi-
na primatum, amplius honorare, ac premissa
attenta meditatione pensantes, & onus ere-
ctionis hujusmodi ad effectum deducere cum
maturitate volentes, ex quibusdam aliis ra-
tionalibus suadentibus causis ad id animum
nostrum moventibus; & ex nostra scientia,
& de Fratrum nostrorum consilio, de Apostoli-
ca potestatis plenitudine, ad honorem om-
nipotens Dei Patris, & filii, & Spiritus San-
cti, & ejusdem gloriosissimi Principis Mi-
chaelis Archangeli laudem, & gloriam,
& exaltationem Ecclesie sancte sue, divi-
ni cultus augmentum, fideliumque sa-
lutem, & earundem terrae, & Ecclesie sta-
tum honorificum, & tranquillum, Terram
predictam in Civitatem erigimus, & Civi-
tatis titulo, & insigniis decoramus: ipsam-
que in memoriam indelebilem eorum, qua
cura nostra in hac parte geruntur, civita-
tem Pargariam perpetuis futuris temporibus
volumus nuncupari. Et insuper eandem Ec-
clesiam (cui venerabilem Fratrem nostrum
Nicolaum Archiepiscopum Sipontinum pro-
ut Sipontinae Ecclesie preesse dignoscitur,
praesidere volumus, & jubemus.) in Cathedralem & Metropolitanam Ecclesiam simili-
liter erigimus, & constituimus de consilio,
& potestate predicta ipsasque ambas Ec-
clesias Sipontinam, & Garganicam simul uni-
mus, annectimus, & incorporamus. Per-
petuo per presentes decernentes, ut predi-
ctus Nicolaus Archiepiscopus ex nunc Ar-
chiepiscopus Sipontinus, & Garganicus nuncupetur, & subsequenter sui in posterum suc-
cessores. Statuentes, & de ipsis consilio,
& potestate decernentes, ut Archidiaconus
qui est in dicta Ecclesia Garganica majorem
post Pontificalem dignitatem obtineat, re-
liqua autem dignitates, personatus, & offi-
cia, si qua, si qui, aut si qua forsitan sub
aliis vocabulis ibidem haecenus extiterint,
alias non intendimus remove, & tam Ar-
chidiaconatus, dignitates, personatus, & offi-
cia hujusmodi necnon duodecim Canonicorum,
& Prebendarum, & perpetuorum be-
neficiorum servientium nuncupatorum nume-
rus ejusdem novae Ecclesie, ac collationes,
& provisiones, necnon consuetudines, &
statuta in suo esse remaneant sicut prius.

§. 3. Quae quidem numerus, & consue-
tudines, & statuta de consilio, & potesta-
te predicta harum serie confirmamus, &
presentis scripti patrocinio communimus. Pro-
ventus, & bona, & jura ipsius novae Ec-
clesie quoad Archiepiscopalem mensam ad Ar-
chiepiscopum, quo vero ad capitulum pre-
dictum pertinent, juxta consuetudinem ha-
ecenus observatam, & alias juxta juris for-
mam percipiuntur, & libere dividantur.

§. 4. Ceterum de consilio, & potestate
predicta statuimus, & ordinamus, quod per-
sonae tam Ecclesiasticae quam saeculares sexus

Terra predi-
cta in Civi-
tatem erigitur.

Ecclesia vero
S. Michaelis in
Cathedrali
& Metropolita-
na.

Archiepisco-
pus Siponti-
nus, & Gar-
ganicus ap-
pellandus.

Capituli assi-
gnatio.

De redditibus
Archiepiscopi
& capituli.

utriusque in eadem civitate degentes pre-
sentes, & posteri predicto Archiepiscopo,
ejusque posteris subiecti remaneant, & pa-
reant in omnibus sicut ante. In eadem Ec-
clesia nova predicta divina officia peragan-
tur juxta ritum, modum, & consuetudinem
ibidem haecenus usitata. Quandoque ipsa
nova Ecclesia omnibus privilegiis juribus,
& jurisdictionibus potiat, & gaudeat quibus
eadem Sipontina gaudet & gaudere etiam
consuevit hujusmodi, necnon aliis privilegiis
indulit, & concessionibus Apostolicis eidem
Sipontinae Ecclesie concessis, qua possent pre-
sentibus obviare non obstantibus quibuscum-
que. Decernimus insuper ex nunc irritum,
& inane, si secus super his a quoquam quavis
auctoritate scienter, vel ignoranter contige-
rit attentari.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam nostrarum erectionis, decora-
tionis, iustionis, voluntatis, unionis, & an-
nexionis, incorporationis, statuti, confirma-
tionis, communitationis, ordinationis, & con-
stitutionis infringere &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum,
Nonis Decembris Pontificatus nostri Anno
Duodecimo.

Clausula.

Dat. die 4.
Decembris
1400. Au. XII.

XIII.

Prohibitio insecundandi, locandi, seu alias
quomodolibet alienandi bona Ecclesia-
rum, & Monasteriorum Urbis, ejusque
Districtus nisi de triennio in triennium.

Ex Regest.
in Archiv.
Vatic.

Bonifacius Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

Et si universas Orbis Ecclesias, cun-
ctaque Monasteria, atque loca in
Divini Nominis laudem, & gloriam dedica-
ta incrementis salutaribus ampliari, & ab
ingruentium dispendiorum noxiis illa ser-
vari ferventibus desiderijs, prout ex debito
Apostolice servitutis obnoxii reddimus, ex-
optemus, ac operam & operam circa ea im-
pendamus studiis indefessis; ad Monasteria
tamen, Prioratus, & Ecclesias in Alma
Urbe, ac in ejus Territorio vel Districtu
existentia tanto, ut salutaribus proficiant
augmentis, excitamur ardentius, quan-
tum in ea Urbe fundamenta Militantis Ec-
clesie celestis altitudo consilii mirabilis sta-
bilivit, & esse voluit tam spiritualis, quam
temporalis Monarchiae ex Throno suae inef-
fabilis sapientiae Principatum.

§. 1. Sentientes igitur, sicut habet fide-
digna relatio facta nobis, quod nonnulli Ab-
bates, Priores, Capitula, & Conventus Mo-
nasteriorum, & Prioratum, tam regularium
quam saecularium etiam Ordinum diversorum,
necnon quamplures alii in dignitatibus, Ad-
ministrationibus, & Officiis constituti, &
etiam Rectores, tam Parochialium quam
aliarum Ecclesiarum, ac Hospitalium tam
in dicta Urbe, quam in Territorio seu di-
strictu ejusdem situarum sub variis, & di-
versis coloribus in maximum Monasteriorum
Prioratum & Ecclesiarum, ac hospitalium hu-

Ex locationi-
bus bonorum
Ecclesiarum,
ipse Ecclesia
suam & de
pasceantur.

hujusmodi praedictum, & gravamen, ac
in ipsorum animarum aeternae salutis peri-
culum bona stabilia ad Monasteria, Priora-
tus, & Ecclesias, seu Hospitalia hujusmodi
pertinentia incedere, seu in emphiteusim
concedere, necnon ad longum locare tem-
pus deannabiliter haecenus praesumpserunt,
& praesument assidue fructus, redditus, &
proventus ex eis ante tempus percipientes,
nec curantes fructus hujusmodi, ac bono-
rum ipsorum, aut nutrimenta, & substantia-
tionem degentium in eisdem.

§. 2. Nos volentes, cum ad hoc nostra
potissime veretur intentio ut Monasteria,
Prioratus, Ecclesie, & bona hujusmodi, ac
Personae in eis, & potissime deservientes lau-
dabiliter in divinis augmenta suscipiant &
ab incommotis ex malitia concessionum, &
locationum hujusmodi emergentibus praer-
ventur illata, praemissis, & nonnullis aliis
rationabilibus causis animum nostrum ad
hoc moventibus auctoritate Apostolica te-
nere praesentium statuimus, & ordinamus,
quod de cetero nullus Abbas, Prior, Con-
ventus, aut Capitulum, Collegia, regula-
res, vel saeculares, aut Rector Monasterio-
rum, Prioratum, aut Ecclesiarum ac Hos-
pitalium hujusmodi, vel alicujus eorum cu-
juscumque status, dignitatis, vel conditio-
nis exiit per se vel alium directe vel indi-
recte, quibuscumque titulo causa seu ques-
to colore insecundare, aut in emphiteusim
concedere, seu aliter locare bona hujusmo-
di, quae insecundari haecenus non consueverint,
aut fructus, redditus, & proventus bono-
rum stabiliu Monasteriorum, Prioratum,
& Ecclesiarum hujusmodi, vel alicujus eo-
rum ad tempus vendere, vel aliter aliena-
re seu concedere: nisi dumtaxat pro tempore
& termino trium annorum ad plus, nec
fructus, redditus, aut proventus ipsos ante
tempus percipere, nisi pro uno anno dum-
taxat, & non ultra audeat, vel praesumat,
sub pena excommunicationis, in quam con-
trahentes incurrere volumus ipso facto,
necnon privationis omnium Monasteriorum,
Prioratum, Dignitatum, Ecclesiarum, be-
neficiorum, hospitalium, & bonorum quo-
rumlibet, quae quomodolibet obtinerent,
Feudatarii quoque, Emphiteote, conducto-
res ac Emptores bonorum hujusmodi solu-
tum contra inhibitionem hujusmodi Cano-
nem, & pretium amississe eo ipso intelli-
gantur, nec repetitioni, aut compensationi
sit locus in aliquo.

Prohibitio, de
qua in subri-
ca.

Penae contra
inobedientes.

Locationes
vero & con-
cessiones
sive Romae
Pontificis facien-
dae.

Contrariis
quibuscum-
que non ob-
stantibus.

non obstantibus quibuscumque.
§. 5. Predicta autem ad hospitale no-
strum Sancti Spiritus in Saxia de Urbe &
ejus Praeceptorem Capitulum atque bona
non vendicent sibi locum.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat
hanc paginam, nostrorum statuti, ordinatio-
nis, voluntatis, & constitutionis infrin-
gere &c.

Datum Romae apud S. Petrum, quarto
Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno
Quartodecimo.

Excipiunt
Hospitalia S.
Spiritus in Sa-
xia.

Dat. die 2.
Januar. 1403.
An. XIV.

INNOCENTIUS VII.

PAPA CCIV.

ANNO DOM. MCCCCIV.



Die 17. Octobris 1404. electus
est Romae in Summum
Pontificem Cosmus Meliora-
tus Presbyter Cardinalis tituli
S. Crucis in Hierusalem sub
nomine Innocentii VII. qui
coronatus est die 11. sequentis
Novembris. Erat Cosmus Sul-
mone natus, in Aprutio: quem
Urbanus VI. Archiepiscopum
fecerat Ravennatensem, mox
Bononiensi praefecerat Ecclesiae,
unde a nonnullis Cardinalis
Bononiensis appellatur. Sedit
ia

in Pontificatu annos II. dies XIX. imperantibus in Occidente Roberto Rege Romanorum, in Oriente vero Emmanuele II. Imperatore. Obiit die 6. Novembris anno 1406. & sepultus est in Basilica S. Petri. Vacavit Sedes dies XXVI.

I.

Approbatio Regule Fratrum & Sororum de Penitentia Ordinis S. Dominici.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicæ providentia circumspicte, personas regulari observantia vacantes assidue, studio piæ vitæ benigno favore prosequitur, & ea quæ pro eorum Statu salubriter dirigendo provide ordinata sunt, ut illibata persistant, Apostolico consuevit munimine roborare.

Supplex Fratrum & Sororum petitio.

§. 1. Sane petitio pro parte dilectorum filiarum, sororum Ordinis Predicatorum, qui quidem fratres, & sorores de Penitentia Sancti Dominici nuncupantur, nobis nuper exhibita continebat, quod ipsi quamdam regulam, sive religiose vivendi formam, in qua nonnulla honesta, & rationabilia, ac regulari disciplina congruentia statuta, & ordinata fore noscuntur, hæcenus laudabiliter observant, prout observant. Quodque licet Ordo, Fratres & Sorores hujusmodi, variis per Sedem Apostolicam sint privilegiis communiti, tamen pro solidiori eorum subsistentia, & ut clementia altissimi operante, de virtute in virtutem gradientes, devotionem reddere valeant Domino famulatum, desiderant, hujusmodi regulam, sive vivendi formam per Sedem eandem approbari. Quare pro parte fratrum & sororum eorundem, nobis fuit humiliter supplicatum, ut regulæ, seu vivendi formæ hujusmodi robur apostolicæ confirmationis adicere, illamque per dictos fratres, & sorores præsentis & posteris in perpetuum observari, mandare, de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmatio de qua in Rubrica.

§. 2. Nos igitur, qui super præmissis omnibus & singulis Venerabilis Fratris nostri Angeli Episcopi Hostiensis, (cui examinationem eorundem commisimus per ipsum faciendam, & quod ea quæ per illum reperiret, nobis referre curaret) relatione plenaria, & fideli sumus clarius informati, hujusmodi supplicationibus inclinati, Regulam sive vivendi formam, quam per singula ejus capitula clare, & distincte, ac de verbo ad verbum præsentibus fecimus adnotari, necnon statuta, & ordinationes prædicta rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica, ex certa scientia confir-

mamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, & nihilominus regulam, seu vivendi formam eandem per ipsos fratres, & sorores præsentis, & in posterum volumus, & mandamus perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari.

Tenor vero Regule sive vivendi formæ hujusmodi sequitur & est talis.

Incipit Regula Fratrum & Sororum Ordinis de Penitentia B. Dominici Tertiarorum Fundatoris, & Patris Fratrum Ordinis Predicatorum.

CAPUT PRIMUM.

IN primis, ut hic Ordo continuum, & perpetuum de bono in melius valeat recipere incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, volumus, & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem hujus fraternitatis, nisi per Magistrum sive directorem, & per Priorem dictæ Fraternitatis, vel de ipsorum licentia, ac etiam de assensu majoris partis fratrum professorum fraternitatis ejusdem illius loci, præmissa tamen diligenti examinatione, quæ sit honestæ vitæ & bonæ famæ, ac de hæresi nullatenus sit suspectus, quinimo tamquam S. Dominici singularis in Domino filius, sit veritatis catholice fidei juxta suum modulum æmulator, & zelator præcipuus. Qui etiam antequam habitum hujus religionis recipiat, de alienis (si qua habuerit) satisfaciatur ad plenum, & proximis reconciliari, necnon & paratum sive conditum suum testamentum tenere studeat, juxta consilium & ordinationem confessoris discreti, & eadem examinatione fiat de mulieribus ingressum hujus Ordinis petentibus: habentibus tamen viros, non pateat ingressus ad consortium dictæ fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia & consensu, de quo consensu fiat publicum instrumentum. Idem quo ad hoc servari volentes in viris uxorem habentibus, nisi obstaret in ipsis, vel aliquo ipsorum aliqua causa, quæ legitima judicaretur de consilio discretorum.

De recipiendis, & eorum conditione.

CAP. II.

Omnes autem tam fratres quam sorores dictæ fraternitatis induantur panno albo & nigro, qui nec in colore nec in valore nimiam preciositatem præterdat, sicut decet honestatem servorum CHRISTI. Mantellum sit de nigro, & fratrum capucia similiter sit de nigro, tunica vero sit de albo, quarum manica præterdantur usque ad pugnium, & sint clausæ, corrigias de corio tantum habeant, quibus sorores cingantur sub tunica, in buris etiam, calceamentis, & cæteris, omnem mundanam rescent vanitatem: vela vero sororum, & bindæ sint alba de panno lineo, vel canapino.

De habitu Fratrum, & Sororum.

CAP. III.

Recipiatur autem recipiendus in loco Capituli fraternitatis, vel ante altare Ecclesiæ Fratrum Predicatorum, illius loci, & a ma-

De modo recipiendi in Ordinem.

magistro, sive direttore supradicto, vel ejus Vicario, qui Magister assistente induendo, & petente humiliter flexis genibus recipi, præsentibus aliquibus aliis Fratribus Predicatoribus, & Priore Fraternitatis, vel ejus vices gerente, cum aliis de fraternitate, benedictet primo habitum ejus qui debet recipi, hoc modo videlicet. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Dominus vobiscum. Oremus. Domine JESU CHRISTE qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, &c. Postea vero tali habitu benedicto, & per receptum seorsum induto, atque ad gradus altaris reverso, & ante Magistrum genuflexo, dicit Magister. Veni Creator Spiritus, & Fratres, qui ei assistunt ipsum profertur usque ad finem, deinde dicatur. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster &c. Emitte Spiritum tuum, &c. Saluum fac servum tuum, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, &c. & Præterea famulo, &c. & Responso, Amen. Aspergatur sic indutus, a Magistro aqua benedicta, deinde omnes fratres fraternitatis, ipsum recipiant ad osculum pacis, & eodem modo ante altare, recipiantur mulieres, quemadmodum est de Fratribus supradictum.

De Benedictione vestii.

CAP. IV.

Completo anno, vel ante, si Magistro, & Priori supradictis, vel cui commiserint, & etiam majori parti Fratrum professorum fraternitatis, visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo, videlicet. Ad honorem Omnipotentis Dei, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Beate MARIE Virginis, & Beati Dominici. Ego N. coram vobis N. Magistro & Priore, Fratrum Ordinis de Penitentia B. Dominici, talis loci, profiteor me velle de cætero vivere secundum formam & regulam fratrum & sororum ejusdem Ordinis de Penitentia B. Dominici usque ad mortem. Mulieres vero eodem modo profiteantur coram Magistro supradicto, & Priorissa, vel cui commiserint.

De Professione seu modo proficiendi.

CAP. V.

Statuimus autem, ut nullus frater, nec soror hujus fraternitatis & Ordinis, post supradictam professionem de hoc Ordine egredi valeat, nec eisdem ad seculum reverti liceat, sed bene possint libere transire ad unam de approbatis Religionibus tria vota solemnia profitentibus.

De permittentia in hoc statu.

CAP. VI.

Fratres & sorores dicant quotidie omnes horas canonicas, nisi infirmitate impediatur. Pro matutinis dicant viginti octo Pater noster, pro Vesperis, & pro qualibet aliarum septem. Ad honorem vero B. MARIE semper Virginis pro qualibet hora superius nominata tot Ave Maria, quot Pater noster dicere teneantur. Pro benedictione autem mensæ, dicant unum Pater noster. Cum vero surgunt a mensa, similiter dicant unum Pater noster, vel Psalmum, Miserere mei Deus, vel Laudate, qui sciunt. Omnes etiam Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

De horis canonicis dicendis.

qui sciunt Symbolum Apostolorum videlicet Credo in Deum, dicant illud semel in principio Matutinarum, & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum. Qui autem sciunt, & dicunt horas canonicas quemadmodum faciunt clerici, prædicta Pater noster, & Ave Maria dicere minime teneantur.

De surgendo ad Matutinas.

CAP. VII.

Ad Matutinas Dominicis diebus, & festis, a festo omnium Sanctorum, usque ad festum Resurrectionis Dominice omnes surgant. In Adventu autem Domini & Quadragesima, surgant omni nocte. Qui vero occupantur quotidiano opere manuali, horas suas dicere possunt de mane, usque ad Vesperas exclusive, de sero vero, vespere & completorium simul dicant.

CAP. VIII.

Omnes quater in anno ad minus, videlicet in festo Nativitatis Domini, Resurrectionis ipsius, Pentecostes, & in festo Assumptionis, aut Nativitatis B. Virginis, peccata sua constentur diligenter, & Eucharistia devote studeant accipere Sacramentum, nisi forsitan ex aliqua causa rationabili, alicui ex ipsis esset a suis confessoribus interdictum. Qui autem ex devotione sua sæpius voluerint infra annum communicare, petita a suo Prælato licentia & obtenta, devotionem suam cum Dei benedictione possunt executioni commendare.

De Confessione, & Communione.

CAP. IX.

In Ecclesia dum celebrantur Missæ, vel cantatur divinum officium, seu actualiter ibi proponitur verbum Dei, omnes silentium servare studeant, & orationi, ac divino officio diligenter intendant, nisi ex aliqua speciali & occurrente necessitate, aliquid silenter loquantur.

De silentio observando.

CAP. X.

Fratres & sorores, Ecclesias quarum Parochiani, & Parochianæ existunt, juxta Canonicas sanctiones, & bonos mores & cum omni devotione studeant visitare. Ecclesiarum suarum Prælatos, videlicet Episcopos & inferiores, summe revereantur, ipsorumque jura absque omni diminutione, & fideliter eis solvant, & hoc tam in decimis quam oblationibus alias quomodolibet consuetis.

De reverentia exhibenda Ecclesiis, ipsique Ecclesiis.

CAP. XI.

A Dominica prima Adventus usque ad Nativitatem Domini quotidie tam fratres quam sorores jejunent, & similiter a Dominica in Quinquagesima usque ad Pascha Resurrectionis idem observent, ferias autem sextas jejunabunt omni tempore, & jejunia omnia ab Ecclesia instituta. Qui autem voluerint amplius jejunare seu austeritates alias facere, poterunt habita licentia a suo Prælato, vel de consilio confessoris discreti.

De Jejunio.

CAP. XII.

Fratres, & sorores hujus fraternitatis Eec uti

De Cibo.

uti possunt carnibus diebus Dominicis, & tertia, & quinta feria. Ceteris vero diebus abtineant, nisi sint infirmi, aut multum debiles, vel minuti, vel nisi præcipuum festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti.

C A P. XIII.

De discursibus.

Vagos, curiososque discursus per civitatem non faciant. Sorores vero solæ non discurrant, maxime juniores, ad nuptias & choreas sive ad dissoluta & mundana convivia, sive ad vana spectacula nullo modo accedant. De civitate vero, vel castro ubi habitant non exeant, etiam causa peregrinationis, absque licentia speciali Prælati, vel Magistri fraternitatis jam dictæ.

C A P. XIV.

De armis non ferendis.

Invasionis seu impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi propter defensionem fidei Christianæ, aut alia rationabili causa, & de suorum Prælatorum licentia.

C A P. XV.

De infirmis visitandis.

Deputentur per Priorem duo ex fratribus, qui cum quempiam ex eisdem noverint infirmari, quamcivis potuerint, caritative studeant visitare, & statim a principio ad recipiendum poenitentiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta, eundem efficaciter adhortentur, & si necesse fuerit, ministerium corporale prout commode poterunt eidem studeant adhibere. Si vero fuerit pauper, necessaria de bonis propriis, vel communibus, prout facultas permiserit, sibi ministrare procurent. Et idem faciant sorores circa sorores suas infirmas.

C A P. XVI.

De suffragiis Fratrum & Sororum defunctorum.

Quando continget, aliquem ex fratribus ex hac luce migrare, cæteris confratribus in eadem Civitate vel Castro nunciatur, ut procurent defuncti exequiis personaliter interesse, a quibus non recedant, donec corpus fuerit traditum sepulture. Hoc idem circa sorores decedentes volumus observari. Præterea infra octo dies post ipsius defuncti sepulturam immediate sequentes, quilibet frater & sorores dicant pro anima ejus: Sacerdos unam missam; Sciens vero psalterium, psalmos quinquaginta; Illiterati vero centum Pater noster dicant, addendo in fine cuiuslibet Requiem æternam &c. Et præter hæc, quilibet infra annum, pro fratrum & sororum tam vivorum quam defunctorum salute, tres Missas faciat celebrari. Qui vero sciunt psalterium, illud dicant, & ceteri quingenta Pater noster dicere teneantur.

C A P. XVII.

De institutione Prioris & Priorissæ.

Priore fraternitatis mortuo, vel amoto, Magister sive director fraternitatis cum consilio antiquorum de fraternitate instituat Priorem singulis annis infra octavas Paschæ, vel alio supradictus Magister habeat consilium cum antiquioribus de fraternitate, super amotione, vel confirmatione Prioris: & sic Priorem confirmare, vel amovere po-

terit, secundum, quod ipse cum præfatis judicaverit expedire. Consimiliter etiam de consilio dicti Magistri & aliorum de fraternitate magis antiquorum, poterit Prior fraternitatis ordinare de superiore, vel Vicario fraternitatis, & etiam postmodum confirmare vel amovere, secundum quod eisdem visum fuerit expedire. Qui Supprior, vel Vicarius tantam potestatem habeat quantam Prior sibi concedet: & hæc eadem forma de institutione Priorissæ, vel Subpriorissæ modo simili observetur.

C A P. XVIII.

De officio Prioris & Priorissæ.

Prioris officium erit cum omni diligentia servare in se, quæ in regula scripta sunt, & sollicitam dare operam, ut ab aliis confratribus observentur: si quos vero viderit transgressores, aut etiam negligentes, caritative corripiat, & emendet, vel si magis sibi videbitur expediens, fraternitatis magistro, & directori, ut corrigat, poterit intinere. Priorissæ etiam erit officium sollicitè Ecclesiam visitare, cæteras etiam sorores excitare ad observantiam regularem. Diligenter etiam per se ipsam, & alias quibus imponet observare, quo in incessu, statu, habitu, nil per aliquam sororem fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectum, præcipue autem attendat, ne sorores cum quocumque viro cuiuscumque conditionis exeat, familiaritatem contrahant, & maxime juniores, nisi forsitan talis vir sorori illi attineat infra tertium consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc exitus bonæ vitæ & famæ.

C A P. XIX.

De correptione Fratrum, & Sororum.

Si quis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta, & ter admonitus per Prælatum, se non emendaverit, excludatur ad tempus a Capitulo & consortio cæterorum confratrum. Quod si nec sic se correxerit, tunc de fratrum consilio discretorum, de ipsorum poenitus consortio publice excludatur, nec admittatur de cætero, nisi confratribus omnibus videatur esse correctus. Item si quis contrari, vel alteri cuiusquam opprobrium dixerit, quod sonare infamiam videatur, aut ex ira quemquam percusserit, vel ad locum prohibitum ire præsumpserit, seu inobedientiam quamcumque commiserit, aut etiam Prælato mendacium ex industria dixisse deprehensus fuerit, abstinencia panis & aquæ, vel exclusione a Capitulo, aut etiam a consortio aliorum fratrum, plus vel minus secundum conditionem personæ, & exigentiam delicti, gravius & levius corrigatur. Item si quis crimen mortale commiserit, talis de consilio majoris partis fratrum professorum fraternitatis illius loci, secundum exigentiam culpæ & conditionem personæ, gravius, vel levius puniatur, sic tamen quod sit cæteris in exemplum. Quam punitionem si facere recusaverit, de consilio discretorum de isto ordine expellatur. Circa vero sororum correptionem illud idem volumus per omnia observari.

CAP.

C A P. XX.

De eorumdem dependentia a Generale Magistro, & Provincialibus Fratrum Prædicatorum.

In quolibet autem mense semel certa die & hora per supradictum Magistrum, vel Vicarium deputandis, ad Ecclesiam fratrum Prædicatorum conveniant fratres omnes Ordinis fraternitatis, Dei verbum & etiam Missam, si hora competens fuerit, pariter audituri, & tunc per ipsum Magistrum ipsi legatur regula ista, & exponatur, & tuac de agendis fratres informet, & negligentes corrigat, & emendet, prout secundum Deum, & istam vivendi formulam viderit expedire. In cujuslibet etiam mensis prima sexta feria, sorores ad Ecclesiam Prædicatorum conveniant similiter Dei verbum & Missam audituræ communiter, quibus etiam legatur regula ista & exponatur, de suisque excessibus corrigantur per Magistrum deputatum eisdem. Volumus autem, quod in qualibet Civitate & Castro ubi fuerint fratres hujusmodi, habeant in Magistrum & directorem aliquem idoneum fratrem sacerdotem de ordine Prædicatorum, quem postulerint a Generali Magistro, vel Provinciali illius Provincia, dicti Ordinis Prædicatorum, aut quem ipsi Generalis Magister, sive Provincialis per se vel alium eisdem concedere, & assignare decreverit, insuper, & statuentes, universos fratres & sorores hujusmodi de poenitentia Sancti Domini ubique existant, directioni, & correctioni ipsius Generalis Magistri Ordinis antedicti, & Prioris provincialis illius Provinciae ejusdem Ordinis, pro eorumdem ampliori conservatione & promotione, totaliter subjacere, quantum ad illa videlicet quæ eorumdem vivendi modum & formulam concernere dignoscuntur.

C A P. XXI.

De dandis Dispensationibus.

Prior fraternitatis cum fratribus suis, & Priorissa cum sororibus suis, Magister autem & director eis deputati, cum utriusque, in abstinentiis & auctoritatibus aliis, in supradictis Capitulis contentis ex causa legitima, & rationabili, cum expedire viderint, poterint dispensare.

C A P. XXII.

De obligatione hujus regule.

Demum quemadmodum in constitutionibus Ordinis fratrum Prædicatorum continetur, ita volumus & ordinamus, quod in ista regula seu vivendi formula habeatur, quod præter divina & ecclesiastica præcepta atque statuta in ea contenta, in reliquis hujusmodi Regule constitutionibus, sive ordinationibus fratres & sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solum ad poenam, quæ cum a Prælato vel Magistro continget ex quavis transgressione imponi, per transgressorem humiliter & prompte suscipiatur, & similiter opere perficiatur, cooperante gratia Domini & Redemptoris nostri Jesu Christi. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Clausula.

§. 3. Nalli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, confirmationis, com. Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

munitionis, voluntatis, & mandati infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sexto Kalend Julii, Pontificatus nostri anno Primo.

Dat. die 26 Junii 1405. An. I.

II.

Quod Vicarii, & Feudatarii ad solutionem antiquorum Censuum Romane Ecclesiæ debitorum teneantur, etiam in eorum investituris Censuum hujusmodi mentio nulla facta fuerit.

Ex Regest. Vatie.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ationi congruit, & convenit honestati, ut ea, quæ de voluntate Romani Pontificis processerunt, & conservationem Jurium Ecclesiæ Romanæ concernunt, robor obtineant, & ad executionem, plenariam deducantur.

§. 1. Nuper siquidem fel. rec. Bonifacius PP. IX. Prædecessor Noster Pontificatus sui Anno Undecimo inter cætera salubriter apostolica auctoritate decrevit, quod si in aliquibus concessionibus Vicariatum, Gubernationum seu Feudorum, Emphiteotarum, seu aliarum administrationum de aliquibus Civitatibus, Terris, Castris, seu locis ad præfatam Romanam Ecclesiam spectantibus per ipsum Prædecessorem nostrum, vel alios quibuscumque de causis factis quomodolibet apparet, quod census antiqui, affictus, sumantariæ Salinæ, tracta quorumcumque victualium, aut alia regalia Beati Petri Romane Ecclesiæ, & Apostolicæ Cameræ debiti, remissi, extenuati, vel diminuti cum censibus novis ratione Vicariatum, Feudorum, aut Emphiteotarum, vel aliarum concessionum, & inclusi, seu confusi viderentur, aut essent concessionibus ipsæ quantum ad dictos census antiquos, affictus, sumantariæ Salinæ, tractas, & alia regalia supradicta nullius essent roboris vel momenti.

Bonifacius IX. hac super re prævia Constitutione.

§. 2. Et quod Vicarii, Rectores, Gubernatores, Administratores, Feudatarii, & Emphiteotæ hujusmodi perinde tenerentur ad præstationem, & solutionem censuum antiquorum, affictuum, sumantariarum Salinarum, tractatum, & aliorum Regalium, ac si de ipsis solvendi se personaliter obligassent, nec per solutionem novorum censuum, aut alias solutiones, quæ in hujusmodi Vicariatibus, aut concessionibus imponuntur, antiqui census aut aliquid prædictorum Regalium intelligerentur exclusi: sed ad ea solvenda teneantur adstricti, prout ante Vicariatus, aut concessionis hujusmodi universitates, seu singulares Personæ Provincialium, Civitatum, Terrarum, Castrorum, & locorum hujusmodi de consuetudine vel de Jure Romane Ecclesiæ, & Cameræ supradictis, seu ejus Thesaurariis per Provincias deputatis in genere, vel specie tenebantur.

§. 3. Nos igitur attendentes præmissa per dictum

Ecc 2

dictum Predecessorem nostrum decreta Juri consona, & publicum bonum concernere ea omnia ex certa scientia auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & ipsa de novo decernimus, & volumus tam in Vicariatus, quam in Concessionibus hujusmodi jam factis & faciendis imposterum inviolabiliter observari per inde ac si in ipsis specialiter, & per expressum appositum essent Constitutionibus Apostolicis seu legibus imperialibus, & aliis contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ea statuit, que in rubrica retulimus.

Clausula.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, constitutionis, & voluntatis infringere &c.


Dat. die 1. Febr. 1406. An. II.

Datum Viterbii Kal. Februarii Pontificatus nostri anno Secundo.

GREGORIUS XII.

PAPA CCV.

ANNO DOM. MCCCCLVI.



Die 2. Decembris anni 1406. Cardinales, qui Romæ erant in Pontificem elegerunt Angelum Corarium, natione Venetum, Patriarcham Constantinopolitanum, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tituli S. Marci, qui Gregorii XII. nomine sumpto coronatus est die 19. mensis ejusdem. Ab ele-

ctionis Gregorii die usque ad liberam cessionem ab eodem in Concilio Constantiensi facta fluxerunt anni VIII. Menses VII. ad electionem vero Alexandri V. An. II. Menses VI. dies XXIV. Obiit tandem Recineti (Concilii Constantiensis Patres eum Cardinalem Episcopum Portuensem esse voluerunt) Anno 1417. & tumulatus est in Templo majore.

I.

Facultas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Camerarii avocandi ad se causas quascumque Cameram Apostolicam quomodolibet tangentes.

Ex Registi. Vatic.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Antonio Episcopo Bononiensi, Camerario nostro, & ejus in Officio successoribus, Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ Camere, per quam S. R. Ecclesiæ necessitatibus incumbentes oneribus multipliciter subvenitur, sic tenemur indemnitate subvenire, intendere commodis, & dispendiis obviare, quod ipsius jura debite possint repeti, ejusque Officialibus suppetat opportunitas prosequendi.

Exordium.

§. 1. Sane, quia sæpe contingit, sicut accepimus, quod extra præfatam Cameram super rebus, & juribus ad eam pertinentibus, ac super omnibus negotiis ipsam tangentibus litigatur, & sæpe coram Judicibus de juribus ipsius Camere nullam vel modicam habentibus notionem, quique per Fiscalem Advocatum, seu Procuratorem, aut alios ex Officialibus ejusdem Camere, qui circa ipsam habeant insistere, non possint commode super iis informari: propter quod Causæ nimium prolongantur, & quandoque pereunt jura nostra.

Ex cognitione causarum extra Cameram damnis eidem obvenientibus.

§. 2. Nos super iis providere volentes, ac gerentes de vobis fiduciam in Domino specialem, quibus principaliter est ejusdem Camere cura commissa, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, cognoscendi auctoritate Apostolica per vos, vel alium, seu alios de omnibus, & singulis questionibus, controversiis, Causis, & Litibus præsentibus, & futuris, spiritualibus, & temporalibus, ecclesiasticis, & Civilibus, ac Criminalibus, nedum ad ipsam Cameram pertinentibus, sicut est hæcenus consuetum, sed etiam de quibuscumque Jura, & negocia ipsius Camere directe, vel indirecte quoquo modo tangentibus, seu etiam, quæ secundum vestrum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsa-

Cameratio est cognoscendi facultatem dat.

ipsaque cum emergentibus, & ab eis dependentibus, ac connexis, & eos, quos tangere poterunt, tam personas Ecclesiasticas, quam seculares, necnon Capitula, Collegia, & Conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Ordinum exemptorum, & non exemptorum, Communitatesque ac universitates locorum, prout, & quoties vobis videbitur, ad vos, & eandem Cameram advocandi, & citandi per literas, vel nuncium intra vel extra Curiam, & ad partes: etiam si Causæ ipsæ de natura sui non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem, aut alias legitime devolutæ, nec in ea tractandæ seu etiam finiendæ, & etiam si coram Judicibus Ordinariis, Auditoribus, Inquisitoribus, Legatis, Subdelegatis, Commissariis, Executoribus, Arbitris, Arbitratoribus, Compromissariis, seu aliis quibuscumque etiam per Sedem Apostolicam deputatis seu deputandis in præfata Romana Curia, vel extra, ubilibet penderent, seu pendere nunc vel imposterum dicerentur: & si in ipsis ad Litis contestationem processum fuerit, vel ulterius quantumcumque, & etiam super iis ad Nos seu Sedem eandem per viam appellationis, seu simplicis querelæ, vel alias habitus sit vel imposterum haberetur recursus, dictas Causas resumendi, & resumendi in statu, in quo fuerunt, sicut juxta vestrum arbitrium videritis expedire: easque per Vos, seu alium, vel alios audiendi, & examinandi summarie, simpliciter, de plano sine strepitu, & figura Judicii, & sine debito terminandi, & alias Justitiam omnimodam exhibendi.

Alis Judicibus ne in iis alio modo se immisceant interdici.

§. 3. Judicibus quoque Ordinariis, Auditoribus, & aliis supradictis inhibendi, ne de Causis ipsis post advocacionem hujusmodi cognoscere, vel se intrinsece quoquo modo præsumant, & quaslibet alias inhibitiones ac etiam revocationes in ipsis causis cum interpositione Decreti & sententiarum excommunicationis, suspensionis, & interdicti per eos promulgatarum, relaxationes, & absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, Mandata, Decreta, Monitiones, executiones, & Processus quoslibet faciendi, & sententias proferendi, & omnia alia, & singula exercendi, quæ circa præmissa, vel ea tangentia juxta vestrum liberum arbitrium videbuntur opportuna: contraditores quoslibet, & rebelles cujuscumque status, Dignitatis, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Regali, Pontificali, vel majori, aut alia quavis fulgeant Dignitate, eadem auctoritate per Censuram Ecclesiasticam compefcendo.

Obstantibus quibuscumque derogat.

§. 4. Non obstantibus generalis Concilii, & aliis Constitutionibus a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinationibus, seu inhibitionibus quibuscumque juramentorum, aut excommunicationum suspensionum, vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum vel promulgandarum munimine, aut quibusvis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus com-

muniter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod extra, vel ultra certa loca ad Judicium trahi aut quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis exemptionibus immunitatibus gratis, & literis generalibus, vel specialibus Ecclesiis Monasteriis, Locis, Collegiis, Ordinibus ac universitatibus seu Personis Ecclesiasticis, seu secularibus quibuscumque, cujuscumque fuerint præminentia, vel dignitatis, & Apostolica Sede concessis, vel imposterum concedendis, sub quacumque forma, vel expressione verborum, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, etiam si talia sunt, de quibus & ipsarum personarum, & locorum ordinum, & statutorum propriis nominibus specialis, ac de totis ipsarum tenoribus plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, mentio sit habenda, quæ omnia haberi volumus pro hic expressis specialiter, & insertis, & ipsa, vel eorum aliqua contra præmissa nolumus in aliquo suffragari plenam, & liberam tenore presentium ex certa scientia concedimus facultatem.

Camerarium ipsum ad equitatem exhortatur.

§. 5. Ad hoc vestri potestatem Officii ampliantes, & etiam prorogantes Vos attentius exhortantes, ut sic in præmissis vos fideles exhibeatis, & etiam studiosis omnibus Justitiam ministrando quod tam eidem Camere, quam aliis quibuscumque, sua jura serventur vestra circumspectio inde possit merito commendari.

Dat. die 15. Junii 1407. An. I.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum. decimo octavo Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

II.

Institutio Canonicorum & Clericorum secularium in Ecclesia Sancti Gregorii in Alga Venetiarum, Castellaniensis diocesis.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Illis, quæ pro divini cultus augmento auctoritate Apostolica processerunt, ut illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, Apostolica confirmationis adicum firmitatem.

Proemium.

§. 1. Sane petitio dilectorum filiorum Ludovici Prioris & Capituli secularis, & Collegiæ Ecclesiæ S. Gregorii in Alga Castellaniensis diocesis, nobis exhibita continebat, quod olim venerabilis frater noster Angelus Episcopus Kisamensis auctoritate, quarumdam literarum fel. rec. Bonifacii Papæ Noni prædecessoris nostris, eandem Ecclesiam, quæ tunc Monasterium Ordinis S. Augustini erat, necnon per Priorem regi con-